

is quae per unius  
ae lampades ruti-  
clamat. Clamat,  
tantia, quae inte-  
am dulces fructus  
titatio. Clamat, ut  
o nomine dignum  
nt, et ab ethnico-  
aetate paene re-  
s atque incolumes  
athedra, Italorum  
quorum in finibus  
sit in honore, ea  
postolici munera  
io omnino postu-  
illae gentes, quae  
sciverunt, ad eam  
pes omnis posita  
utinam his moni-  
primis Ecclesiae,  
i cathedra averso  
nim, quum in iis  
orio Nazianzeno  
us esset magistris,  
lolorum doctrinam  
ata sententia: Si  
t, perierit regnante  
tus nonne hodie  
os Deus avertat,  
da? Evidet enim  
auctore et con-  
at? Evidet non  
um, qui vita est  
discipulis compre-  
anquillavit, potest  
unera exagitatae  
vere. In quo op-  
Dei, quam quum  
vis adversariorum  
dit; idque patro-  
is secundum Iesu  
iat unum ovile et


i, Sponsor.  
TIS VATICANIS.

# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

**Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus**  
*Corsio Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)*

**Sedes aliae:**

**In Italia:** Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bologna - Bolzano - Bra - Brescia - Cagliari - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Castellamonte - Castenuovo di Carfagna - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cortona - Cotrone - Cremona - Cuorgnè - Fabriano - Fermo - Figline Val d'Arno - Firenze - Foiano della Chiana - Foligno - Fossato - Frascati - Frosinone - Gaiole in Chianti - Gailicano - Gallipoli - Genova - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lecce - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietrangi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbettello - Orvieto - Pagani - Palermo - Pallanza - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Roma - Salerno - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Tagliacozzo - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo.

**Apud Italicas colonias:** Bengasi - Tripoli.

**Apud exteras gentes:** Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Souef, Bibel, Dessouk, Fashu, Fayoun, Kafr El Chelkh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria - Gerusalemme in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

**¶ Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.**

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
 pretio quod sequitur:

**JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandum, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulae lib. 1,25; ambae lib. 2.**

**HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegumento solut. lib. 2; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 3.**

**I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. - Singulae lib. 1,25; omnes lib. 3.**

**I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. - Lib. 1.**

Premium annuae  
 doll. 2,40;  
 rem, Romam

DE POËT  
 COM

Quum de parationibus in nonnullas nuntiatis attingendas. Nam scopus que eorum, qui runt, offendit enim, quo modo Quod ita optimum de dictibus, sideribus post de hominibus etabimus, ut portionis intercedendo modo homine inanimatis.

I. - Dii e

Pulcritudin rum, ut imagi

<sup>1</sup> In qua re quem non puto, cationis, quam sephoris apud Atticam quinta parte agi referri non possunt negligi poterant » foedissime mihi d

- Arezzo - Ascoli  
 - Benevagienna -  
 - puglia Marittima -  
 di Carfagnana -  
 i Castello - Colle  
 rigline Val d'Arno  
 ianti - Gailicano  
 - Luserna S. Gio-  
 stelone Calabro -  
 neglia - Orbetello  
 nano - Pontedera  
 - S. Maria degli  
 Torre Annunziata

ch in Hispania -  
 azar, Beni Soueff,  
 lit Gamr, Zagazig  
 ia - Gerusalemme  
 Minore - Rodi in

ne sunt.

ciis

num dantur,

m, Milesiae  
 . - Singulæ

- Si tegu-  
 lib. 3.

ones drama-

ula. - Lib. 1.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (fr. 12;  
 doll. 2,40; sh. 10, etc.); ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI docto-  
 rem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.



## DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS

Quum de poëtarum elegiacorum comparationibus in universum disputavimus, nonnullas nunc comparationes adeamus attingendas. Et vix ubi ancoras solvimus, iam scopulus nobis imminet, quem plerique eorum, qui eumdem cursum tenuerunt, offendisse mihi videntur. Quaeritur enim, quo modo materia sit digerenda.<sup>1</sup> Quod ita optime absolvere mihi videor, si primum de diis agam, tum de mundi partibus, sideribus nempe, aëre, terra, aqua, post de hominibus, quam partem ita tractabimus, ut primum quaeramus, quid ratione intercedat inter homines, tum, quomodo homines utantur et animalibus et inanimatis.

### I. - Dii et solemnia religionum.

Puleritudinem deorum sive etiam deorum, ut imagines certas fabulas spectan-

<sup>1</sup> In qua re quotiens erratum sit, hic enumerare meum non puto, quod autem G. F. H. COENEN dissertationis, quam scripsit *De comparationibus et metaphoris apud Atticos praescritim poëtas* (Trai., 1875) quinta parte agit de figuris «quae ad certum genus referri non possunt, nec tamen in hac dissertatione negligi poterant» cum omnibus doctrinae praeceptis foedissime mihi discrepare videtur.

tes mittamus, quamquam iam Homerus in comparationibus habet. - Θ 305: καλὴ Καστιάνεια δέμας εἰκῦνα θέρσιν, - apud poëtas, de quibus hīc agitur, non inveni nisi in Ovidio (*Met.*, VI, 452):<sup>1</sup>

quales audire solemus  
*Naiadas aut Dryadas mediis incedere silvis,  
 si modo des illis cultus similesque paratus.*

Sapph., 2, 1:

φαίνεται μοι κῆνος ἴσος θέοισιν  
 ἔμμεν ὄντη, ὅστις ἐναντίος τοι  
 ιζάνει καὶ πλαστὸν ἀδν φωνεύ  
 σας ὑπακούει

in linguam latinam vertit Catullus (51, 1):

ille mi par esse deo videtur  
 ille, si fas est, superare divos,  
 qui sedens adversus identidem te  
 spectat et audit;

sed non solum mutavit sententiam - Sappho enim contendit neminem aspectum puellæ istius ferre posse, nisi qui divina quadam vi praeditus sit; Catullus contra, delicias amantis, qui puellam suam intuetur, deorum beatitudini comparat; verum etiam altero versu e suis addito, carmen quadratum corrupit magis quam exornavit.

<sup>1</sup> Quum saepius una sententia plures imagines contineat, non eius versus, a quo sententia initium capiat, sed eius versus, a quo ipsa imago ordiatur, numerum ascripsi.

A solemnibus religionum eas similitudines deprompsit Ovidius, quae leguntur in *Am.* (I, 4, 27): *tange manu mensam, tangunt quo more precantes et Am.* (III, 7, 21) sic *flamas aditura pias aeterna sacerdos surgit.* Stuporem Baccharum exhibit Propertius (I, 3, 5): *Nec minus assiduis Edonis fessa choreis qualis in herboso concidit Apidan.*

Horatius (III, 25, 8):

non secus iugis  
ex somnis stupet Evias  
Hebrum prospiciens et nive candidum  
Thracem ac pede barbaro  
lustratam Rhodopen.

Ovidius (*Trist.*, IV, 1, 41): *Utque suum Bacche non sentit saucia vulnus, dum stupet Edonis exulata iugis.*

Restat ut commemoremus, inferos neminem eorum poëtarum, quos hoc libro tractamus, ad comparationem adhibuisse, excepto Vergilio, qui huius generis imaginibus usus est (*Aen.*, VIII, 243): *Et umbrosae penitus patuere cavernae, non secus ac signa penitus vi terra dehiscens infernas reseret sedes et regna recludat pallida, dis invisa, superque immane barathrum cernatur, trepidant immisso lumine manes.* Praeterea (X, 641): *Gressumque effingit euntis, morte obita qualis fama est volitare figuræ.*

## II. – Tempora anni.

Si requirimus quem locum teneant in comparationibus anni tempora, inveniemus rarissimum eorum usum fuisse. Unius veris dulcedo saepius laudatur. Theocr. (9, 34): *οὐτ' ἔαρ ἔξαπίνας γλυκερώτερον.* (12, 3) οὐσσον ἔαρ χειμῶνος ἀδιον.

Alexand. Aet. in *Apolline*, 7:

ἡς ἔτι νύμφης  
γλάκατ' ἐν θαλάμοις καλὸν ἐλισσομένης  
Ἄσπησον Βασιλός ἐλεύσεται ἔγχονος "Αὐθεύς  
ὅρκι ὄμηρεῖς πιστ' ἀποδωσόμηνος,  
προθήβης, ἔαρος θαλερώτερος.

Hor., c. IV, 5, 6:

*Instar veris enim vultus ubi tuus  
affulsi populo, gravior it dies  
et soles melius nitent.*

Quae comparatio – pulcherrima, quia ea quoque, quae poëta adventu Augusti effici dicit, imagini consentanea sunt – in mente nobis revocat, quomodo Clytaemnestra Aeschylea Agamemnonem salutem revertentem (900): *καλλιστον ἡμας εἰσιδεῖν ἐκ χείματος.*

Denique, quamquam formam comparationis non habet, lepidum Asclepiadi epigramma (*Anth. Pal.*, V, 169) hīc afferre mihi licet:

ἡδὺ θέρους διψήσαντι χιὼν ποτον, ἥδιον αὐτῆς  
ἐκ χειμῶνος ιδεῖν εἰαρινὸν στέφανον,  
ἥδιστον δ' ὅπταν κρύψῃ μία τοὺς φιλέοντας  
χλαῖνα καὶ αἴνηται Κύπρις ὑπ' ἀμφοτέρων.

## III. – Tempora diei.

A poëtis paullo saepius in imagines collata sunt. Celer iter diei habet Tibullus (I, 4, 28): *Quam cito non signis stat remeatque dies.* Crepuscula diei Ovidius (*Am.*, I, 5, 5): *Qualia subludent fugiente crepuscula Phœbo, aut ubi nox abiit nec tamen orta dies.*

Quater aurora in similitudinibus est. Primum apud Theocritum, apud quem (18, 26) sic lego:

Ἄους ἀντέλλοισα καλὸν διέφανε πρόσωπων πότνια νῦξ, ἀτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος.

Faciei rubenti aurora ab Ovidio comparatur (*Am.*, II, 5, 34): *Quale coloratum Tithoni coniuge caelum subrubet.* (*Met.*, III, 184): *Qui color infecti adversi solis ab ictu nubibus esse solet aut purpureae aurorae.*

Alia est imago (*Met.*, VI, 47):

Ut solet aēr  
purpureus fieri, quum primum aurora movetur,  
et breve post tempus candescere solis ab ortu.

Nam hoc loco non tam colorem poëta spectat, quam subito eum venire et rursus evanescere. Meridie candor laudatur (*Her.*, 15, 318): *Candidior medio nox erit illa die.* Noctem quae in Homeri imaginibus saepius locum habet (A. 47): *νυκτὶ ἔουκῷς* (*A.* 606): *οὐδὲ ἔρεμνῇ νυκτὶ ἔουκῷς,* poëtae elegiaci plane omiserunt.

(*Sequitur.*)

ALEXANDER AURELI.

## ARCHÆOLOGICÆ NOTAE

### De veterum sepulcris

De sepulcris in hoc commentario scripsi alias;<sup>1</sup> redeunte mense Novembri, defunctorum memoriam revocante, placet ad argumentum redire; idque faciam quasi additamentum iis, quae scripsi pariter de ritibus funerariis.<sup>2</sup>

Apud Romanos, itemque apud Carthaginenses, notum est nihil posse cuiquam contingere gravius, quam ut sepultura priaretur, propterea quod id, iuxta religiosam illorum doctrinam, aut omnino, aut ad longum tempus a beatorum consortio excluderet. Itaque saepe veteres etiam erga hostem hoc obibant officium; quemadmodum, ex. gr. legimus fecisse Hannibalem erga Flaminii cadaver,<sup>3</sup> et L. Cornelium consulem erga Annonem, Carthaginensem ducem.<sup>4</sup> Quin imo licet servi nullam habere sepulcri communionem cum liberis civibus possent, aut privatam sepulturam, sacer tamen eorum sepulturae locus habebatur.

Prisca sepulcri forma, uti alias adnotavimus, apud populos Iapheticos, fuit simplex terrae aut lapidum acervus obruiens cadaver, qui vocabatur *tumulus*.<sup>5</sup> Modus hic ad aevum attinet heroicum, nec videatur apud Romanos regum aetate fuisse in more. Serius ingentes tumuli Horatiorum Curiatiorumque fratrum prope Urbem apparent; iisque ab antiquissimis tumulis Etruscae Ceretanae necropolis non valde differunt. Eorum conica forma naturalem transitum ad pyramidem exhibuit; de

<sup>1</sup> Cf. an. V, fasc. XI.

<sup>2</sup> Cf. an. VI, fasc. XI.

<sup>3</sup> LIV., *Decad.* III.

<sup>4</sup> VALER. MAX., V, 1.

<sup>5</sup> « Terræ congestio super ossa tumulus dicitur », SERVIUS, *Aen.*, m. 22.

quo Servius versus illos Vergilii expla-nans (*Aen.*, lib. XI, 849-51):  
*Fuit ingens monte sub alto  
Regis Dercenis terreno ex aggere bustum  
Antiqui Laurentis opacaque itice tectum,*

scripsit: « Apud maiores nobiles aut, sub montibus altis, aut in ipsis montibus se-peliebantur. Unde natum est ut super ca-davera pyramides fierent ».<sup>1</sup>

Illi igitur petrarum montes, hominum labore exaedificati, quas pyramides appellamus Aegyptias, nihil aliud sunt nisi sepulcra; quorum C. Cestii marmorea pyramis, Romae extans apud portam Ostiensem, minuscula est imitatio, nobili-or tamen lapide exstructa.

Eademque etiam multorum sepulcro-rum forma fuit apud Appiam viam. Quam-quam haec alium immutationis gradum praeseferunt: in iis scilicet pyramis cum mausoleo coniungitur.<sup>2</sup> Mausoleum autem vocatur immane quoddam sepulcrum ad cylindri formam et in conum desinens; nomen autem sumpsit a Mausolo rege, eo quod, ut Strabo testatur (v, III, 8), regi illi ab Artemisia uxore splendidum et ingens exstructum est sepulcrum, quod posteri eius nomine mausoleum vocarunt.

Augustus primo, posteaque Hadrianus Mausolum imitati sunt, eorumque moles adhuc in Urbe admiramur. Prioris quidem sepulcrum in theatrum conversum est; alterius autem monumentum, multis iam abhinc saeculis, in propugnaculum stati-vumque praesidium mutatum, Castellum Sancti Angeli, ut apprime notum est, nun-cupatur.

Mausoleum generatim gradatae pyra-midis formam reddit; quae forma pegmatitis funebris propria erat: hoc saepe phari adspectum quoque habebat, quasi defuncti gloriam hac in vita resplenduisse signifi-

<sup>1</sup> Id., *Aen.* 846.

<sup>2</sup> HOM., *Iliad.* VI, 419.

caret, sicut turris emicat nocturnis ignibus cursum navium regens.

\* \* \*

Si vero congruentiam invenimus inter Etrusca et Romana sepulcra, est quoque inter utraque discrimen, nota dignum; scilicet in Romanis sepulcris omnes exterius sumebantur formae; in illis nihil renidebat foris; intus autem cum corporibus monilia deponebantur, arma, vasa pretiosa, omnia denique quibus in vita mortui libenter uti soliti essent. Praeterea statuae, epitaphia, picturae intus tantum ponebantur, perinde ac si defuncti etiam tum vivèrent atque illis ornamenti frui possent. Haec denique omnia semel clausa nunquam humanis oculis conspicere licet.

Apud Etruscos, itemque apud Aegyptios, nova etiam describatur penicillo vita defuncti apud interos, casibus varia, in quibus et extrellum iudicium et ad beatitudinem ingressus aliquando apparent. Opinio autem alterius huius existentiae effectit ut sepulcra formam habitacionis vivorum assumerent, quae vel ad sarcophagos, ad urnas cinerarias et reliquiarum thecas manavit.

Arbores denique prope mausolea serebantur. Sic Augusti mausoleum populi procerae ipso in tumulo positae eminebant; ulmi Ectionis, Thebarum regis, inumbrabant monumentum,<sup>1</sup> cuius speciem oleae e sepulcro Messalae Cottae, aut cypressus in Horatiorum tumulis iuxta viam Appiam exsurgentis praebent. In Arcadia cupressi pariter Alcmeonis poëtae tumulum ornabant. Romae Diti, seu Plutoni, sacra erat cypressus, quippe quae semel obtruncata non amplius germinet, reddens ita veram mortis imaginem. Funebbris ideo arbor erat cypressus, atque ante domum defuncti, vel ipso in vesti-

bulo figebatur, si defunctus in atrio expensis locuples fuerat; iuxta illud Lucani:

*Et non plebeios luctus testata cupressus.*

\* \* \*

In Aegypto cadaver pollinctum et aromatis conditum - (*mummia vulgo apud nos appellatur*) - condebatur in capsa, lignea plerumque, aliquando saxea, quasi ad formam cadaveris involuti efficta.

Aliter vero in ceteris regionibus. Sic, apud populus Phoenicis etiam vasa, amphorae et similia, ut sarcophagi et capsae adhibita sunt; quae quidem amphorae illarum amorpharum forma similes erant, quae apud Romanos cuniculis thermarum efficiendis inserviebant, aliisque eius modi usibus.

Neque defuerunt simpliciores sepulturae formae: scilicet *dolmen*, quam vocant, seu saxea tabula duobus aut pluribus erectis lapidibus imposita; *menhirs*, seu longum sursumque subrectum saxum; *cromlechs* sive lapis praegrandis aliis minoribus lapidibus circumdatus. Haec ubique in Palaestina inveniuntur, praesertim in regionibus montanis; sed dolmen quoque in Galliis reperitur aliisque tum Europaetum Africae regionibus. Hodie vulgo sepulcra omnia eius generis *megalithica* appellantur.

\* \* \*

Sepulcreta instituebantur nunquam longe a civitatibus. Quod si montana regio esset, montium in visceribus cadavera recondebat; hinc mores ambo, tum subdialibus in monumentis, tum et in subterraneis, cadavera deponendi, eiusdem prorsus aetatis habendi sunt; ut utriusque generis sepulcorum ruinae, quae supersunt, atque historia luculenter demonstrant.

Subterranea sepulcra hodieque in Aegypto, in Palaestina, in Chersoneso Taurica, in Asia minore, in Phoeniciorum coloniis,

Melitae, Carthagine, in Sicilia, in Sardinia conspicuntur. Neque in Gallo-Romanis regionibus desunt, neque in Etruria, praesertim maritima; nec denique apud ipsam Romanam. Sepulcrum ex gr. Scipionum verus cryptarum labyrinthus est, cuius ingressus, eximio opere exornatus, iuxta viam publicam patet.

Partium sepulcri dispositio nimis varia non erat apud Romanos: conclave (vulgo *solarium*) intus vel supra patebat, ubi defunctis parentabatur, quorum cineres vel reliquiae subter - (perraro quidem supra) - iacebant. Fistulae autem ita erant dispositae, ut per eas vinum et lac libaminum ad ollam vel sarcophagum usque pervenirent. Ara ante monumentum erigebatur, non secus atque in fronte templorum; stela quoque ponebatur, antiquitus in summo tumulo, postea intus.

Quo quidem stela, vel cippus, triplice distinguebatur genere: funerario nempe, commemorativo et votivo. Prima plerumque etiam commemorativa erat; namque monumentum, quod ipsa saepe fuit stela, « monet mentem », ut ait Augustinus, vel simpliciter « monet ». Stela, quae non raro in Graecis Romanisque sepulcris invenitur, nunquam in sepulcris Aegyptiis dedita; in eaque epitaphium insculpetur, et etiam defuncti figura diis obsequium praestans.

Pro stela obeliscus adhibitus est et etiam columna, in quibus victoriae a defuncto reportatae describabantur, ut Salamanasari obeliscus, columna Antonini, columna Hadriani. Quin etiam sepulcra Romana reperta sunt ad hanc formam efficta; in quibus scilicet basis tetragona sarcophagi locum vel ostothecae, vel urnae cinerariae teneret, (nam, uti notum est, Romae fere universalis usus cremandi corpora defunctorum diu invaluit); columna vero simul et operculum et stela foret.

Quo magis denique religio imminuta fuit Romae, eo magis monumentorum

fastus crevit. Quum lege XII tab. cautum esset, ne cum mortuis thesauri aut res magni pretii conderentur, omnes expensas Romani ad exteriorem spectabilemque sepulcri partem conferebant.

Hinc sepulcra iuxta vias frequentiores exponere, mole, magnificentia, signis marmorumque splendoribus, quasi mortui gloriam, virtutem aut divitias viatoribus narrarent. Quin imo et ipsa inscriptio, veluti defuncti ore prolata, vel proferenda, ad transeuntem convertebatur: « Sta, viator »; quemadmodum videre est in pluribus ipsius viae Appiae sepulcris.

\* \* \*

Urgens Cicero in *Disputationibus Tusculanis* adversarium suum: « An tu aiebas - egressus Porta Capena, quum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulcra vides, miseros putas illos? ».<sup>1</sup> Huiusmodi verba celeberrimi Romanorū oratoris patescunt qualis esset, apud Romanos aetatis suae, opinio futurae vitae. Ipso illo tempore, uti ferunt, mirabatur Cato quod non rideret aruspex, aruspicem quum vidisset. Caesar, inter alia argumenta quibus non esse morte plectendos Catilinae socios Patribus conscriptis persuadere conabatur, hoc etiam attulit: « In luctu atque miseriis - ait - mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere, ultra neque curae neque gaudio locum esse ».<sup>2</sup> Ipse Virgilius, qui tam pia, tamque suavi musa, Troiani principis casus tradidit, Lucretio ausus est his versibus congratulari:

*Felix, qui potuit rerum cognoscere causas  
Atque metus omnes et inexorabile fatum  
Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.*

<sup>1</sup> TIC., *Tusculan.*, I, VII.

<sup>2</sup> SALL., *De Catilinae coniurat.*, 52.

Nec praeter famam imperitum, aliam Horatius immortalitatem cupivit:<sup>1</sup>

*Exegi monumentum aere perennius,  
Regalique situ pyramidum altius,  
Quot non imber edax, non Aquilo impotens  
Posset diruere, aut innumerabitis  
Annorum series et fuga temporum.  
Non omnis moriar, multaque pars mei  
Vitabit Libitinam: usque ego postera  
Crescam laude recens, dum Capitolium  
Scandet cum tacita virgine pontifex.*

## DE "ESPERANTO"

Bononiae recens est hominum coetus factus, ut et Itali foedus inirent cum aliis nationum doctis, qui iamdiu certant pro societate, cui est titulus: *Esperanto*.

Quid est *Esperanto*? Quod nomen?...

Et tu, candide lector, plane es hospes in hac re, quae diu iam inter homines diffundi dicitur, et magno in honore haberis? Quoniam ita res sese habet, et tibi fortasse hoc primum nomen occurrit, quid sit *Esperanto*, quidque sibi velit, libentissime pro viribus exponam.

Iamprimum tenet homines recentiores, commerciorum causa, omniaque quaestui habentes, novam loquendi rationem inventisse, quam *Volapuk* vocarunt, ea lege ut novis verbis e communi studio receptis et facile inter se notis, omnia quae usu saepius necessaria occurrint, explanari potuissent. At novisti quoque miserum in modum immane eorum studium, ut qui inanis et futilis cogitationes captabant, insigniter periisse. Et nunc, magna iam nominum comitante caterva, ecce *Esperanto*, cuius auctor, maiore spe innixus, qui nominatur Zamenhof, natione gefmannus, nova sane ratione ac tenaciori proposito, eo animis contendit, ut homines invicem inter sese negotia et nullo prorsus labore expromere possint. Et si vera sunt exposita, complures iam nominantur socii, quin imo nationes ipsae, veluti agmine

facto, ecce ad nos contendunt: Angli, Galli, Americani, Belgae et alii quasi innumeri, qui omnes signis *Esperanto* in aëra levatis, in suis coetibus facillime ita eloqui posse praedicant, remque admirabilem profitentur, omnibusque admirandam autem et veluti diiudicata lite omnia relinquunt.

Quid autem dicere me prohibet et huic *Esperanto*, quae tot iucunda ac nova inventa inter homines adducit:

*I, bene, quo virtus tua te vocat, i, pede fausto?*

Et quoniam dum haec paucula velociter scribo, omnibus qui in magno consessu de hac re Bononiae habitu intersunt, litterae gratulabundae omnis generis insigniter leguntur, quid vetat me illis memorare illud Iuvenalis: «Per varios usus artem experientia fecit?». Illis et ego salutatus minor quod Romani in re magni momenti consueverunt:

*Quod felix, faustum, fortunatumque fiat!*

Hisce positis, si meam sententiam libero ore dicere fas esset, Italos monitos velim, qui aliena potius inventa incerta adhuc sequuntur, quam certa suorum ac minime dubia. Hos ego respicere iubeo patrum exemplum, qui quum bona sua optime novissent, in linguae latinae studium alacriter incumbentes, eam apud omnes nationes evulgare studebant. Vestigia patrum relegentes et ipsi illis dignissima perficiunt!

Haec enim omnibus inservit; et si eam vel leviter arripiās, et quoniam studiorum fama in omnibus fere populis in puerili institutione adhibetur, quid vetet eam ad altiora acrius adhibere? Olim enim sapientissimus quisque in ipsam incumbere aequum putabat, et quamdiu Italorum decus stetit, nemo ferme fuit acutioris ingenii vir, quin summo studio ad sermonem romanum niteretur. Ac propterea magistratus, et qui ad summa rerum gubernacula sederent, latina lingua optime callebant, eamque in ipsis publicis consiliis adhibebant.

Primum, patrum nostrorum memoria, factiosa Gallorum respublica, cum armis

omnem ferme Europam subegisset, superbe veterum morem abruptit, suamque linguam et ceteris nationibus duriter imposuit. Ad sancta igitur iura nunc tandem est redeundum.

Quae cum ita sint, ne te, candide lector, diutius habeam, ego Bononienses doctos apertissime hortor, ne aliunde nova curiosus inquirant, sed bona sua nobiles adhibentes, exemplo suo alios ad Romanorum linguam colendam etiam atque etiam revocent, quae parce quidem saepe detorta, ad omnia quaeque explananda praebet quae recentior aetas inventit, et modo humili et modo ore rotundo sonabit.

Sic Italis scribere, sic alienis confidenter communicare haud dubitavit

SUBALPINUS.

## DE AGNOMINATIONIBUS<sup>1</sup>

### III

Non minus quam ad insignia gentisque nomen accomodatae, agnominaciones inveniuntur et in bibliopolarum, scriptorum, Academiarumque titulis. Sic, operibus Beniamini Carpzow praeposita haec verba legimus: *Non sum ubi sum, et ubi sum nondum sum*; et Erasmi de Ungerpa: *Iova iuvit, iuvit iova idem iova iuvavit* (sic). Dictum anglici poëta Pope erat: *Mihi tibi*; Academicorum Ferrarianum, quibus «Intrepidos» placuit sese appellare: *Dum premat imprimat*; teutonici typothetae Francisci de Ercle: *Patiō et potiar*; celeberrimi illius bibliopholae Magliabecchi: *Vivunt quia vivo*; de libris scilicet a se collectis dicens.

In fronte Academiae Ficiniana Florentinae scriptum erat: *A bono in bonum*. Sed inter bibliothecarum inscriptiones pulcherrima illa videtur passim adhibita: *Tecta lege, lecta tege*; hoc est: Tege libros hic asservatos, lectosque in mente asserva-

Praeterea et Hymni Sequentiaeque Catholicae Ecclesiae, media quam dicimus aetate exarata, agnominacionibus abundant. Neque mirum; alias enim adnotavimus hoc scripturae genus popularibus auribus ac menti esse pergratum, atque ideo fictum magis in iis permanere. Itaque carminibus quae «leopina» appellata sunt, constantque binis versibus cum extremis syllabis simul consonantibus, atque interdum versibus «per crūcem» consonantibus, scripta sunt longissima poēmata de argumentis sacris.<sup>1</sup> Stropheae S. Bernardi:

*Erubesco  
Et tabesco  
Tuam timens faciem, etc.*

et S. Anselmi:

*Ad quid tendam ut tremendam  
Evadam sententiam?  
Quem requiram, per quem iram  
Iudicis effugiam?*

et S. Ambrosio attributae:

*Culpat caro, purgat caro,  
Regnat Deus, Dei caro, etc.*

exempla sunt aliarum metrorum rationum, quae per agnominaciones adnectentur. Quem autem latet celeberrimus ille *Dies irae*? Quisquis fuerit auctor, is profecto versibus, ex. gr.:

*Rex tremenda Maiestatis,  
Qui salvando salvas gratis,  
Salva me, fons pietatis,*

longe aliud, quam verborum ludum, componere voluit!

Atqui iidem animi sollemnes motus eorumque in auditorum captiosus effectus efformarunt, ni fallimur, nonnullas antiquitatis agnominaciones, ut formulam illam a Catone (*De re rustica*, 160) ad nos usque traditam, que frustra tot interpretes defatigavit: *Daries*, *Dardaries*, *Astataries*. Quibus verbis, ait, peculiaribus ritibus expressis, luxationes persanabantur.

\*\*

Alia agnominacionum messis ex iis etymis vocum et originibus deduci licet,

<sup>1</sup> HORAT., *Od.* III, 30.

<sup>1</sup> Cf. fasc. huius anni VIII-IX.

<sup>1</sup> Cf. *Rhythmologia latina*, auctore OBERLIN.

a grammaticis facile, atque interdum etiam ingeniose, cisis, quum sermonum vera scientia nondum extaret. Exemplo sit illa *Venetiarum digna etymologia* edita in opusculo saec. xvi, cui titulus: *Laus Venetiarum*, italico carmine exarata, in quo auctor circa Venetiarum nomen ingentem molem agnominacionum congessit, his verbis incipiens:

*Venetia, vena entium; si vuol dire Eunitum, vel venientium vena:  
Vel veni ecce et guarda qual si mena,  
Veni etiam et vien cito et non sparire.*

\*\*

Denique nonnulla de agnominacionibus iocosis attingamus, ex eodem opere ea deducentes, de quo alias mentionem fecimus.<sup>1</sup>

Rabelasius in *Gargantua*, quem descripsit *Grand, gros, gras, gris*, ita Magistrum Ionatum de Bragmardo aeneas campanas repetentem inducit ab ipso *Gargantua* ex templo Nostrae Dominae subreptas: *Ergo sic argumentor: omnis clocha clochabilis in clocherio clochando, clochans clochativo clochare facit clochabili clochantes*, etc.

Verum litterarum ludi campum praebebat magis, ubi huiusmodi flores germinarent. Discipulum ferunt, qui consuetudinem sibi fecerat athenaei aedibus cauponam praferendi, hisce versibus apud Rectorem suum sese excusasse:

*Pinta trahit pintam, trahit altera pintula pintam:  
Et sic post pintas nascitur ebrietas.*

Atque Rectorem invicem eum verberibus mulctatum ex « Universitate » dimisisse:

*Virga trahit virgam, trahit altera virgula virgam;  
Et sic post virgas nascitur ire foras!*

Magistrum narrant ad docendum vocatum in schola quadam Basileensi, quum pretium ipsi promissum exigere omnino non posset, institutionem dereliquisse, hisce verbis in scholae ianua inscriptis:

*Non nego, nec te go, quod ego. qui rego, cum lego,  
Idego.*

<sup>1</sup> AMERICO SCARLATTI, *Et ab hic, et ab hoc* (Augustae Taurin., 1918) pars altera, cap. II.

Epitaphium Edmundi cuiusdam:

*Hic iacet Edmundus, telluris inutile pondus,  
Dilexit rabiem; non habeat requiem.*

Quod autem sequitur compositum est in memoriam teutonici ducis Ruitter, qui post Hispanos Anglosque fusos, ipse vici sim a Gallis ter est superatus:

*Terruit Hispanos Ruitter qui terruit Anglos,  
At ruit in Gallos, perterritus ipse RUIT TER!*

Iamvero finem faciamus, historicam narratiunculam referentes, quae causa fuit ut Schopenhauer philosophus et ipse agnominationem, ex animo profecto manantem, efformaret.

Quum scilicet quadam die clarus ille sapientiae professione vir in parvo suo cubiculo, Berolini, totus esset in humanae vitae mysteriis perscrutandis, mulierculae nonnullae ex proxima area nunquam intermissa garrulitate vehementer eum inquietabant. Iterum iterumque at frustra philosophus eas rogavit ut abirent; denique ira incensus ex cubiculo in alteram earum irruit, atque ita ante se per vim egit, ut mulier in terram illaberetur, brachiumque fractum reportaret. Actio sequuta est, atque Schopenhauer multatus pretio pro habitatione et mensa mulieris, dum vivet.

Heu! post illud tempus viginti et amplius annos vixit mulier; sed tandem supremum obiit diem. Tum vero philosophus haud iniuria exclamavit: *Obiit anus, abit onus!*

I. F.

## AD SCRIBAM AB EPISTOLIS

Quaeris ab emerito me scriba, candide Iuli, quas, nihil ut pecchet, sibi poscat epistola dotes; instat enim (trepidus quod adis) tibi sessile

[munus  
scribendi, quavis de re sermone nec uno, nuntia verba, tui quae reddant sensa magistri. Accipe, sis, quod me docuit diutiurnior usus expertoque, libens auditor, crede Ruperto.

Primum, cui scribas attende, modo nec [eodem

alloquere et servos et herum, iuvenesque se- [nesque.

Si iucunda refers, festivis utere verbis, queis et dicta licet miscere subinde iocosa. Rebus at in maestis, da voces triste sonantes et quibus Ah! quandoque dolens erumpat et [Eheu!

Si grave quid tractas, ter singula verba qua- [terque

mente repende prius, trutina ceu penditur au- [rum.

Consilium possens vel opem, sermone mo- [desto

funde precem; composque rei, meritas age [grates.

Officio si cogaris reprehendere quemquam, esto, non rigidus vindex, sed censor amicus, fellea mellito medicina sit illita succo.

Illustri si forte viro scripturus es, amplam sume tibi chartam; brevis esto; reque relata, nomen pone tuum plagula reverenter in ima. Nec tamen, ut moris fuit olim, clausula dicat: « *Emorior, vir magne, tui studiosus honoris* »; assentatore saperet vox prodiga laudis.

Perspicue scribas nulloque legenda labore; litterulas bene formatas si fingere nescis, discere ne piceat preli portabilis artem.

Claris adde notis quod fers *gentile* vocamen et *proprium*, quod habes a sancto Caelite, no-

[men.

Audi rem lepidam, quae res mihi contigit ipsi.

Ad me nescio quis scribens, nomen sat aperte

expressit *gentis*; *proprium* tamen (hercle!) nec

[Argus

nec poterat vis amplificans agnoscere vitri.

Vae mihi! quid facerem, cito respondere ro-

[gatus?

Tandem, subridens, rescripsi: « Nescius ipse sisne vir an mulier, responsa gemella remitto, et iubeo fratrem, iubeo salvere sororem ».

Omina fausta solent cives sibi ferre vicis- [sim,

praeside cum Iano novus orbi panditur annus. Hunc quoque tu serva ritum; tua vota sed

[echo

sint animi, non vana labri calamique camena. Nec formas adhibe, quas aggerit *Amanuensis*

<sup>1</sup> Olim apud Germanos, in epistolis ad dynastas, sic fere clausula sonabat: « Ich ersterbe in tieferster Ehrfurcht ».

*Communis*,<sup>1</sup> tibi ne salse rescribat amicus:  
« Verte libri plagulam, nostras ibi perlege [grates ».

Est aliud quod te moneam: Ne κόματα [spernas

et quae grammatici commendant cetera signa interpungendi. Lapidès ut *Prima viarum*<sup>2</sup> crebros constituit, dubius queis scire viator posset iter, lassusque brevem captare quietem:

sic te Donatus<sup>3</sup> docet, haec per puncta, le-

apte ubi respire, ubi currat vox, ubi sistat.

Da quoque, scriba, quod I deposcit littera [punctum,

ne piger, aut atri dicare liquoris avarus. Nulla tamen digitis haerescat sepias, totos ne scapos cum tu perscriperis, atramento foede nigrantes iubearis scribere rursus.

Nec tibi (quem casum sors averruncet amica!) accidat, ut chartas flava aspersurus arena, vaseula commutans, perfundas flumine nigro.

Hanc etiam, Iuli, tibi legem fige perennem, ut (quod femineus consuevit omittere sexus) inscribas schedulis annum, mensemque diem- [que.

Appositum tempus lectori grata futuro fax erit, aetates illustratura peractas.

Est aliud vitium muliebre, quod arbitror or- [tum

qua Tamesis fluit ac nebulae diffundit opacas. Crebrior inde mihi defertur epistola, lectu difficilis, quod paginulas scriptura refert recta quidem primum, sed mox transversa se-

[cansque obliquis directa notis turbansque priora.

Hoc tu scribendi genus horre prorsus et arce, pluraque scripturus, pagellas adde novellas.

In propriam tandem mittatur epistola the- [cam, ne peregrina manus sibi non descripta resi- [gnat.

Cogita - ut exemplo res nobiliore patescat -

<sup>1</sup> Il Segretario per tutti, quo in libro colliguntur formulae de quolibet epistolarum genere.

<sup>2</sup> Statius poëta similiter Viam Appiam appellat *Reginam viarum*.

<sup>3</sup> Donatus grammaticus, qui auditorem habuit S. Hieronymum Stridonensem.

quam foret in Batavo Certamine<sup>1</sup> flebilis error,  
nuntia si scheda, rivali concredata thecae,  
debita victori, deferret praemia victo!  
Infelix error quot gaudia falsa cieret!  
quot spes delusas! quot denique taedia scri-  
[bae!]

Chartea theca ferat postremo rite notatam  
urbem vel pagum, quo sit mittenda, viamque  
adiicit, si tecta locus sat multa recenset.  
Solvore nec fisco iustum vinctigal omitte,  
expers ut mulctae tua tangat littera metam.

Impiger at chartis dum longas curvus in  
horas  
incumbis scriptor; calamus dum stridet arat-  
[que  
cuspide paginulas, dicens ex ordine sulcos:  
tu flexas in opus quandoque ad sidera tolle  
palmas et frontem; rapidis mens ipsamet alis  
evolet in caelum, vires haustura supernas,  
queis hoc innocue per lubrica transigat ae-  
[vum,  
donec fine carens oriatur vita beata.

Haec tibi scriba senex et amicus, candide  
Iuli,  
exposui paucis; usus te plura docebit.  
Interea calamo sic nos utamur uteisque,  
nomen uti nostrum Superum scribatur in albo.

FRANC. X. REUSS.

## EX ITALIS URBIBUS

### Insignis scholarum cuiusque pro- fessionis concursus apud Sale- sianos.<sup>2</sup>

In scrinio elegantiori oryza cernitur  
adhuc in spicis, alia iam excussa et de-  
glupta, palea demum, quam manus saepe  
industria, in hiemalibus stationibus, optime  
in plures usus accommodat.

Aspice quam varia, quam apta quam-  
que utiliora pomorum genera producun-

<sup>1</sup> Scilicet Certamen Poëticum quod sumptibus legati  
Hoeufftiani singulis annis Amstelodami habetur, inter scri-  
tores latinos orbis universi.

<sup>2</sup> Cfr. fasc. sup.

tur, modo si iuvenis sapienter cum ceteris  
mala nostra inserere nititur!

Candide lector, hic pro re nata,

*Omnis doctrinae ratio tibi cognita, qualem  
Condit sexcentis Varro voluminibus,*

per ordinem uno veluti oculorum obtutu-  
cernitur!

At latet anguis in herba; idest infir-  
mitas, in quam suos iam monet alumnos  
sapiens magister, nimio ne credit colori.  
Sunt enim morbi innumeri, qui passim  
occulti fructibus insidiantur. Et ne ignarus  
agricola in pomorum morbis frustra in  
posterum ingemiscat, aut ne serius omnino  
malis medicina paretur, adsunt in ampullis  
plerumque insectorum malefactorum ima-  
gines, et quanam arte singula expellere  
possit.

Quam bonum omen iis qui a pueris in  
haec prudenter adsuescant!

*Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore canendum.*

Hac in parte videmus, veluti in agmine  
composita, omnia quae magnam plerum-  
que agricolis fortunam facile conferunt.  
Bonus agricultura a stabulis nunquam dece-  
dere debet. Hinc suae fortunae fons deri-  
vatur et origo. Adsurgunt et nimis saepe  
letiferae lues, quas curare poterit et pel-  
lere ipse puer aliquando, si modo hanc  
vel illam medicinam adhibeat.

Quid de vitibus dicam? Summa est in  
illis colendis cura et industria. Hinc enim,  
nostra potissimum aetate, tota agricolarum  
commoditas pendet et divitiae innumerae  
manant. At vero quot morbi in vitibus!  
Erit itaque agricultae ars summa, ut uni  
adsurgent morbo subitam medicinam  
opponat.

Adest hic longa instrumentorum ac  
memoranda series.

Adest in promptu quidquid de lacte  
cognoscere agriculta debet. Hic machinam  
butyri admiraris, illic casei, et pullorum  
illa artificiosa incubatio, quae nuper opifi-  
cum incuria longissime abiit. Ipsa pagella  
risit,

*Miraturque novas frondes et non sua poma!*

Adsunt ibi parvulae craticulae, mira-  
sane arte confectae, quae apta partium com-

positione, mirum in modum referunt ami-  
pla tabulata in quibus industrii bombyces  
integram brevemque vitam transigunt,  
antequam inter ramos adscendentibus folli-  
culum illud fatale sibi nectant, ubi im-  
mensas et faciles omnino sibi agricultae  
divitias brevi et nullo quasi labore compa-  
rant. Si huic olim operi modesto vaca-  
verint,

*Vellera ut Eois despectant tenuia Seres!*

Nunc adventante vere, dum tellus,  
adhuc hiemali frigore vigens, lentius natu-  
ralem socordiam a se abiicit, neque opera  
quaerit, agriculta, festinato pede atque ad-  
sidue in eorum studio versatur. Prudens  
nullus agriculta hanc tam facilem divitia-  
rum viam neglit.

Et cura boum maxime commendatur;  
eorumque stabula arte et miro studio con-  
fecta. Et pullorum quoque atque cuniculo-  
rum; quorum praesertim cultu inopiam  
nuper devitavimus, neque contemnendae  
fortunae sunt conlatae.

In mediis quodammodo conclavibus,  
mira specie ac radiis splendescens, adest  
Iesu Christi servatoris imago, nec iam  
doloribus confecti, sed suavi vultus ad-  
spectu, vel inter teterrimas crucis aerum-  
nas, qui filiolis suis praedicat: « Ego sum  
via, veritas et vita ».

Quid dicam? Placet! Hoc exemplum  
imitandum dicerem.

Ne infinitus sim, in compendium plu-  
rima redigo.

Adsunt et perfectionis scholae pro pue-  
ris sexdecim annos egressis. Doctrinam  
christianam, historiam sacram, italam di-  
ctionem, arithmeticam, diagramphen edocen-  
tur, libris rite optimeque compositis.

Adest denique et mensa, modeste qui-  
dem parata, qualis nempe rusticos maxime  
debet. Et lectuli sunt parati, et iis etiam  
accommodati, si qui in morbum inciderint.

Ne quid affatim desideretur, et de mo-  
numentis agitur, quae ... a Vespasiano olim  
imperatore nominantur. Et qua diligentia,  
nostris praesertim agricultis adprobata!  
Hinc enim pueris ars tutandae valetudinis,  
hinc domorum mundities morumque ca-  
stigatio.

Hic prima pars terminat, quae admo-  
dum de agricolis agit. Et ne quid huic  
rei desit, veluti cumulus accedit. Balneae  
sunt, quibus, ad valetudinem curandam,  
in torridis praesertim regionibus, uti pos-  
sint alumni. Scis enim; in hoc, tam-  
quam in re maximi momenti, summam  
rei recentiores consistere autuant.

I. B. FRANCESIA.

## COMMUNIA VITAE

### Nomina virorum atque mulierum propria.<sup>1</sup>

Rachel - Hebr. - Ovis.

Radegundes (Radegunda, Gunda) -  
Teut. - Bona consiliorum ministra.

Rainaldus (Reginaldus, Naldus, Naddus;  
et foem. Rainaldes, Regineldes) - Teut. -  
Iuvenis Diis carus.

Rainerius - Teut. - Miles validus.

Rambertus - Teut. - Robore celebris.

Ramirus - Teut. - Auxiliator fortis.

Raphaël - Hebr. - Medicina, sive Dei  
medicus.

Ratbertus - Teut. - Consiliarius cele-  
bris.

Raymundus. - Teut. - Vir corpore va-  
lido.

Rebecca - Hebr. - Mulier bene curata.

Regimbaldus - Teut. - Dominus fidens  
animo.

Regimbertus - Teut. - Vir illustris.

Reinhardus - Teut. - Integerrimus.

Remigius - Lat. - Navem remis pro-  
pellens.

Renatus - Lat. - In vitam restitutus.

Rhodope - Graec. - Rosacea facies.

Richardus (Ricordanus) - Teut. - Dives  
fortis.

Richilda - Teut. - Puella potens.

Ricobaldus - Teut. - Dominus animosus.

Ricobertus (Rigobertus) - Teut. - Do-  
minus illustris.

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

Robertus (Rupertus) - Teut. - Consiliarius fama notus.  
 Rodericus (Rudericus, et vulgo Rodri-gus) - Teut. - Dominus potens.  
 Rudolfus (Rudolfus, Ridolfus, Radolfus Dolfus) - Teut. - Auxilio promptus.  
 Roffredus - Teut. - Patronus illu-tris.  
 Roma - Hebr. - Excelsa, Sublimis.  
 Romelia - Hebr. - Sublimitas Domini.  
 Romualdus - Teut. - Auxiliator validus.  
 Rosalba - Lat. - Rosa alba.  
 Rosalia - Graec. - Rosarum corona.  
 Rosarius - Lat. - Rosarum mercator.  
 Rosaura - Lat. - Rosa aurea.  
 Rufus(Rufinus, Rufillus) - Teut. - Clarus.  
 Ruth - Hebr. - Satura.  
 Rutilius - Lat. - Flavus.  
 Saba (Sabas, Sabbas) - Hebr. - Ebrius.  
 Salome (Salomi) - Hebr. - Pacifica, et etiam Perfecta.  
 Salomon - Hebr. - Pacificus.  
 Samuel - Hebr. - A Deo positus.  
 Sapphira - Hebr. - Narrans, Enumerans.  
 Sara - Hebr. - Princeps foemina.  
 Saul - Hebr. - Quaesitus.  
 Sebastianus - Graec. - Venerabilis.  
 Sem - Hebr. - Nomen, Fama.  
 Sempronius - Graec. - Concordia, Prudens.  
 Sephora - Hebr. - Pulcra.  
 Seraphim (et foem. Seraphina) - Hebr. Ardens.  
 Serapion (et foem. Serapia) - Aegypt. - Sol.  
 Sergius - Graec. - Rete, Iaculum.  
 Servius - Lat. - In servitute natus.  
 Sichelmus - Teut. - Defensor discedens vitor.  
 Sicinius - Teut. - Bellator vitor.  
 Sidonius - Hebr. - Insidiator.  
 Sigefridus (Sigfridus, Sefridus) - Teut. - Nauta pacificus, et etiam In victoria placidus.  
 Sigismundus - Teut. - Vis victoriae.  
 Sigovesus - Teut. - Victoriae dux.  
 Simeon - Hebr. - Petenti satisfaciens.  
 Simon (Simoncinus, Cinus, Simoncellus, Cellus, Simonettus, Cetus) - Hebr. - Exaudiens, et etiam Oboediens atque Constitutus.

Sinibaldus - Teut. - Juvenis animosus.  
 Smaragdus - Graec. - Splendens.  
 Socrates - Graec. - Copiarum servator.  
 Sophia - Graec. - Sapientia.  
 Soteres (Soterus) - Graec. - Servator.  
 Spartacus - Graec. - Sator(?)  
 Stanislaus - Graec. - Corona redimitus.  
 Stenelus - Graec. - Fortis.  
 Susanna - Hebr. - Lilium, et etiam Laetitia.  
 Symphorosa - Graec. - Calamitas.  
 Tancredus - Teut. - Pugnator potens.  
 Tel'macus - Graec. - Qui longius pugnat.  
 Telesphorus - Graec. - Ad finem adducens.  
 Thaddaeus - Hebr. - Qui laudat, Qui confitetur.  
 Themistocles - Graec. - Vir legis.  
 Theobaldus (Theodebaldus, Thebaldus) - Teut. - Dux fortis.  
 Theobertus (Theodebertus) - Teut. - Dux celeber.  
 Theocritus - Graec. - Deorum iudex.  
 Theodolinda (Linda, Thusnelda) - Teut. - Domina benigna.  
 Theodoricus - Graec. - Populi dominus.  
 Theodosius - Graec. - Divinitus datus.  
 Theodulfus - Teut. - Auxilium populi.  
 Theogenes (Diogenes, Theogonius) - Graec. - A Diis genitus.  
 Theophanes - Graec. - Lux divina.  
 Theophilus - Graec. - Dei amicus.  
 Theophrastes - Graec. - A Deo laudatus.  
 Theopista - Graec. - Deo fidelis.  
 Theopompus - Graec. - Dei socius.  
 Thersites - Graec. - Audacissimus.  
 Thetis - Graec. - Nutrix.  
 Timotheus (Theotimus, Deotimus) - Graec. - Qui Deum colit.  
 Thomas (et vulgo Masus, Masinus, Minus, Didymus) - Hebr. - Abyssus, et etiam Geminus.  
 Thorismundus - Teut. - Defensor intrepidus.  
 Thrasus - Graec. - Gloriosus.  
 Thrasybulus - Graec. - Consiliator audax.

Tiberius - Hebr. - Bona visio.  
 Timagoras - Graec. - Fori honos.  
 Timantes - Graec. - Honorabilis.  
 Timoeus - Graec. - Luminibus orbatus.  
 Timocrates - Graec. - Vis honoris.  
 Timolaus - Graec. - Populi decus.  
 Titius - Lat. - Saltator.  
 Totilas - Teut. - A morte liberatus.  
 Transmundus (Trasamundus, Trasimundus) - Teut. - Homo carus.  
 Tryphon - Graec. - Mollis.  
 Ubaldus - Teut. - Fortis auxiliator.  
 Umbertus - Teut. - Potens illustris.  
 Valburga - Teut. - Peregrinantur trix.  
 Valdemarus - Teut. - Gubernator celebris.  
 Valtrudes (Valdetrudes) - Teut. - Ab exteris anata.  
 Victorius (Victor) - Lat. - Ex victoria.  
 Vidimarus - Teut. - Valde celebris.  
 Vigilius - Lat. - Excubitor.  
 Villebaldus (Villebordus, Villebrodus) - Teut. - Fortissimus.  
 Villeramus - Teut. - Valde robustus.  
 Villifridus (Vilfridus, Vitfridus) - Teut. - Exemplum pacis.  
 Viriatus - Lat. - Magnis viribus prae-ditus.  
 Vitigis (Vitiges) - Teut. - Bellator strenuus.  
 Volmarus (Vulmarus) - Teut. - Felicitatis auctor.  
 Xantippus - Graec. - Eques flavus.  
 Xenocrates - Graec. - Advena flavus.  
 Xenophanes - Graec. - Advena illustris.  
 Xenophilus - Graec. - Advenarum amans.  
 Xenophon - Graec. - Hospitum necator.  
 Xerxes - Graec. - Bellator.  
 Zachaeus - Hebr. - Purus.  
 Zacharias - Hebr. - Memoria domini.  
 Zebedaeus - Hebr. - Dote insignitus.  
 Zenaides - Graec. - Vivens.  
 Zenobius - Graec. - Iovis vita.  
 Zephyrus (Zephyrinus) - Graec. - Vitam afferens.  
 Zosimus - Graec. - Vividus.

FINIS.

FORFEX.

## ANNALES

## Vita functi...

Mortes duae, Alexandri scilicet Graecorum regis et Mac Swiney Corkiani Municipum praefecti, eventus fuere, per superiorem mensem Octobrem, qui maxime mentem et animum orbis universi in se converterunt; non solum ob tragicum eorum virorum fatum - constat enim illum vita sanctum esse ob mortum beneficum simiae cuiusdam; alterum fami sese consumendum dedisse sub intercessionis specie contra Anglos, qui eum acerrimum Hibernorum iurium assertorem in carcere detruserant; - sed etiam ob earum consequentias, implexas et lamentabiles. Quae sunt praesertim hinc de regni successione, inde recrudescens Hibernicum in Anglos odium.

Timebant enim plures ne, Alexandre mortuo, regia potestas in popularem subverteretur, dictatore Venizelos, astuto illo Cretensi viro; ali ne externus princeps in Graecorum thronum assumeretur. Ex adverso, fausto auspicio, tamquam legitima pronuntiata est successio Pauli principis, tertio loco geniti a Constantino rege, dignitate spoliato. Quum vero exsul is procul a patria vivat cum patre ac fratre natu maiori, quumque incerta sit cretio eius, a publico legatorum coetu legibus ferendis recens dimisso atque rursus ad rem convocato, procuratio regni tradita est Conduriotis, classis praefecto, viro Venizelos obnoxio atque Constantino, regi quondam, infenso; sed tamen prudenti, nec ipsis Cre-tensis administratorum praesidis inimicis inviso.

Attamen si pro tempore res compositae sunt, quaestio de successione manet cum suis incognitis eventibus.

Mors intrepida Corkensis syndici, quae facta est post ieunii dies circiter octoginta, modum praebet tum Hibernicae tenacitatis

ut sese ab Anglia emancipet, tum Anglicae firmitatis, indubiae simul atque impavidae, ne Hibernia ab Anglo imperio distrahitur. Itaque seditio altera alteri illic succedit, succeditque gubernii cohibitio, sanguisque interdum spargitur ...

\*\*

**In Russia.**

Quid interim evenit in Russia? Scisitatio, congruens responsum adhuc habere nequit. Lenini gubernium cum Polonia, Finlandia aliisque finitimis civitatibus pacem composuit, neque condiciones quibus constituenda esset intimius perspexit; societatemque init cum Ucraina. Discriben de Wilna urbe insolatum reliquit, a quodam Polono duce ex improviso occupata, quippe quod cum Lithuania dirimendum; eius enim imperium Russia eiuravit, itemque Bessarabiae, definitive ad Romaniam attributae.

Huiusmodi cuiusvis ferienda pacis sollicitudo tributa vulgo est internis agricolarum militumque motibus adversus tyrannidem Lenini eiusque socii Trosky, quem tradiderunt fuisse quoque a seditionis vulnere affectum. Ii vero fortasse ferro et igni domiti sunt, infelici populo prostrato in maiorem, si possible foret, omnium rerum direptionem.

\*\*

**Societas veteres et novae.**

Dum nationum, quam nuncupant, Societas in tot rerum convulsione hic illic coit atque academice tricatur, novum nunciatur populorum foedus, cui accesserunt Bohemi, Serbi, Romeni, Czecho-Slovaci, Iugoslavi et Austri, eo praesertim fine, quemadmodum dictarunt, ut ab Hungarorum possibili imperio atque potestate sese defendent. Primo non sine lato consensu pactionis huius nuncium acceptum est;

deinde vero diffidentia ac suspicio successere.

An novae nubes de horizonte emergunt? Avertat Deus!

Kalendis Novembr. MCMXX.

POPULICOLA.

**VACUI TEMPORIS HORA**

Redierunt tandem rubricae huius voluntarii in labore socii; iisque plurimas gratias refero, eoque magis quod, fateor, singulis mensibus eam scribere coactus, nescio interdum ad quod argumentum me vertam. Eorum unus, carmen repetens, quod de philomela in fasciculo retuli superioris mensis Iunii, ipsius **lusciniae avis** elegantem, quae sequitur, descriptio nem ad me misit, a Gesnero, ait, desumptam:

« Lusciniam - ita ille - unam ex avibus maxime solent ii, qui naturam animalium scribunt, admirari, quod in tam parvo corpusculo tam clara, tam suavis, tam magna, tam iucunda vox inveniatur; quod verno tempore, quum frondescere arbores incipiunt, diebus ac noctibus perpetuis sine ulla intermissione canere soleat. Unde enim in avicula tam pertinax spiritus? Unde vis illa continenda animae in canendo tantae, ut una continuatione cantionis vivae contentiones vocis et remissiones contineantur? Unde tam artificiosa tamque perfecta musicae scientia, tam ingeniosa modulatio, tam gratus auribus sonus, qui modo in longum continuo spiritu trahatur, modo summa quadam cum varietate flectatur, nunc concisa voce distinguatur, nunc intorta copuletur? Quid quum iterum vocem revocat, exque integra comprehensione cantum edit? Quid quum modulos nec opinato ac de repente commutat? Quid quum ipsa secum iucunda ac tacita murmurat? Nulla mehercule tam astrusa, tam difficilis est cantio, quam non exprimat luscinia: plenam, gravem, acutam, crebram, extentam, summam, medium, imam. Quid plura? Iam parvulis

in fauibus omnia, quae, tanto labore, tanta industria, tanto studio, tot inventis instrumentis genera cantionum ars hominum excogitavit, integra atque perfecta in luscinia reperiuntur ...».

\*\*

Socius alter lusionum nos vult studiosos, traditque perlegendum scriptum Alberti de Albertis **de pilari ludo**:

« Alterum est ludi genus - inquit - quod in quadrata, aut paulo longiore, ampla etiam praealtaque aula et multis patula fenestris iucundissime exercetur. Hinc atque illinc triplici in latere oblonga humiliaque tabulata, suprave declivis tecti in morem inclinati asseribus ad sustinendam remorandamque pilam fastigiata excitantur. Ea in aula peregrina pila, tomento tarta, reticulique pulsa ac repulsa, ultiro citroque comeat, perque varias vices nunc solo afflita resultat, modo inflexa volvitur in latus, iam in caelo impacta desilit; modo in transversum secta deprimitur, mox novo animata verbere rediviva salit; modo reiecta pariete reciprocatur; nunc versa manu retorqueatur; iam interiectum in medio radens funem, in angulum illatebratur; iam reticulo a tergo per divaricatas subtus tibias acto retruditur. Denique per multiplices anfractus, per diversas ambages, per varios maeandros, nullius metae sollicita volucris semper itque reditque; nunquam haerens, incerta semper lege errans, aëris semper ludibrium, volat ac revolat».

Nonne, longo ante nos tempore, - auctor enim, ni fallor, saeculo vixit sexto supra decimum - pilaris ludus adumbatur, quem Anglo nomine, nunc **tennis** nuncupamus?

\*\*

Ut ipse ego aliquid ex mea parte hodie referam, **metricam inscriptionem addam horologio appositam**, quam nuper Florentiae, in templo S. Mariae Novellae, quod vulgo appellatur, transcripsi:

*Sic fluit occulte, sic multos decipit aetas,  
Sic venit ad finem quidquid in orbe manet.*

*Heu, heu praeteritum non est revocabile tempus!  
Hen propius tacito mors venit ipsa pede!*

Monitum profecto magnae sapientiae plenum.

\*\*

**locosa.**

Tuccius a magistro interrogatur:

— Ehus tu! Si dicam: « Frater tuus venit in schola », an errem?

— Errabis profecto.

— Optime quidem. Et quanam de causa?

— Quia hodie frater meus domi mansit.

Tuccius e schola redit, festiveque patri nunciat se primum in ludo litterarum illa die exstitisse.

— An id possibile fuerit? ... inquirit pater.

— Hercle! Quum illuc perveni, discipulorum nemo ante illud tempus in scholam venerat.

\*\*

**Aenigmata.**

I

Candidulo praestat pars prima colore, se-

[cunda] Est parvum numerum vocula significans.

Tertia vexavit iuvenis Demosthenis ora.

Omnis coniunctae splendida tecta dabunt.

II

Me veteres Graeci, quum bella cruenta pete-

bant,

Votis consuerat rite vocare deum.

Verte meum nomen: fio tutela fidelis

Et claudio valvas obsequiosa domus.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] (vulgo *Rebus*): *In medio stat virtus*; 2] *Navicula tex-toris*.

IOSFOR.

## ROMA SACRA

**SSMI D. N. Benedicti PP. XV litterae encycliche de Sancto Ephrem, Syro Monaco Edesseno, doctore Ecclesiae renuntiando.**

Datis encyclicis litteris, quarum summam in superiore mens. Octobris fasciculo retulimus, ob natalem millesimum et quingentesimum appropinquantem S. Hieronymi, Catholicae Ecclesiae Doctoris, Benedictus PP. XV alias nuper dedit de Sancto Ephrem, Syro Monaco Edesseno, quem denique et ipsum in Doctorum coetum adscripsit.

Et quidem a praestantissimum virorum duorum inter se congruentia dicendi originem ducit: « Etenim – inquit – fuerunt Hieronymus et Ephrem fere aequales, ambo monachi, ambo Syriae incolae, uterque sacrorum Librorum cognitione studioque excellentes; quos iure dixeris veluti duo candelabra lucentia,<sup>1</sup> a Deo destinatos alterum proprie ad occidentales, alterum ad orientales regiones illuminandas. Quae autem eorum scriptis continentur, eiusdem bonitatis sunt eiusdemque spiritus; ac propterea fit, ut, quemadmodum in iis concors et immutabilis latinorum atque orientalium Patrum doctrina elucet, sic eorum laudes et gloria veluti in unum coalescant et copulentur ».

Hinc ad Ephrem vitae enarrandam Pater Sanctissimus procedit eiusque virtutes in meridianam lucem ponit, usque ad ultimum eius actum, testamentum scilicet Ephremi, in quo plane eius fides, humilitas et etiam patriae caritas eminet singularis, quodque legi non potest quin animo vehementius commoveamus: « Ego Ephrem – sic ille – morior. Cum timore autem ac reverentia adiuro vos, o incolae civitatis Edessae, ne sinatis me in domo Dei poni, aut sub altari. Non enim decet vermem putredine scatentem in templo et sanctuario Dei reponi. Verum in mea mettuna et pallio deponite, quibus quotidie utebar atque indebar. Comitamini me in psalmis atque orationibus vestris, et assidue pro-

mea parvitate oblationes facere dignemini. Marsupium Ephrem nunquam habuit: non baculus ei fuit, non pera, neque argentum vel aurum, aut aliam aliquam possessionem super terram aliquando acquisivi vel possedi. Meis igitur praeceptis atque doctrinæ sedulo operam dantes, ut mei discipuli, a catholica ne desciscatis fide. Circa fidem maxime estote constantes, caventes vobis ab adversariis, iniurias, inquam, operatoribus et vaniloquias, et a seductoribus. Et benedicta vestra sit civitas, in qua habitatis. Ipsa enim Sapientum est Civitas et Mater Edessa ».

Ad eius scripta enucleanda atque in examen revocanda pergunt deinde, quasi in huius testamenti tramite, encycliche litterae; atque primum de carminibus verba faciunt, quorum Sozomenus scribit<sup>1</sup> tricies centenas myriades, si omnia simul numerare velis, conscripsisse. Sed non solum Christianus poëta Ephrem exstitit, sed et musicus clarissimus; adeo imo, ut « Spiritus Sancti cithara » appellaretur. « A quo licet ediscere quibus artibus sacrarum rerum cognitio sit in populo provehenda. Etenim Ephrem, quem inter gentes viveret ardenteris naturae, quae quidem poëticæ musicaeque dulcedinem maxime sequerentur, quoniam lenociniis haereticorum, inde ab altero post Christum saeculo, ad errores suos disseminandos calidissime usi erant, ipse... artes artibus opponit, doctrinamque catholicam carminibus modisque vestit, quae deinde virginis puerosque studiosè docet, ut eadem postea populus omnis paullatim ediscat. Ita institutionem fidelium in christiana doctrina non modo integrat, eorumque pietatem sacrae liturgiae spiritu fovet atque nutrit, sed etiam serpentes haereses felicissime prohibet ». Ea autem illius musica fuit, ut mos ipse « orientalium partium », quo in urbe Insubrum principe, Augustinus, catechumenus adhuc, tam vehementer commovebatur, quique, a Gregorio Magno expolitus, perfectius quiddam apud nos attigit, sapienti estimotorum iudicio, aliqua ratione beatissimo Ephrem debetur, quem ab antiphonia syriaca,

ab eo diffusa, originem ducat. Atqui « utinam vestigiis sancti Ephrem insistant quotquot in Ecclesia munus administrant erudiendi certeros, ab eoque ediscant quam sollerter, quam assidue sit in praedicanda Christi doctrina elaborandum; neque enim fidelium pietas habeat aliquid stabilitatis et emolumenti, nisi in fidei mysteriis praeceptisque penitus defixa haereat! »

« Qui autem legitime sacras tradunt disciplinas, eos Edessenus exemplo suo monet, ne Scripturas Sacras ad placita sui quisque ingenii detorqueant, neve in iis prescrutandis a perpetuo Ecclesiae sensu transversum unguem discedant ».

Sed a beato Ephrem aliud ediscere omnes possunt, « patriae huius caritatem, cuius quidem officia ipsius christiana sapientiae professione nituntur, non ab amore patriæ caelestis seiungi debere, nedum ei praeponi: patriæ illius, inquit, quae nihil est aliud nisi intima in animis iustorum Dei dominatio hic inchoata, in caelis perfectissima: cuius profecto specimen mystice exhibet Ecclesia catholica ».

Edesseni autem erga Deiparam Virginem pietatem nemo satis dicendo explicit; neque ita minore studio is rapitur quum e longinqua Edessa Romam respicit, ad Petri Primatum laudibus extollendum. Cuius verba Pontifex quum retulerit, addit: « Haec omnia quum ipsis Nobiscum recoleremus, benignissimo Deo cum lacrimis supplices eramus, ut Orientales, quos discidium nimis diuturnum, contra veterum Patrum suorum sententiam, ab hac beati Petri sede misere distinet, tandem aliquando ad sinum complexumque reduceret Romanæ Ecclesiae ». Interea ad ipsum Pontificem litterae tum Orientalium Episcoporum, tum Cardinalium Praesulumque aliorum perlatae sunt, quibus, allatis maximi momenti rationibus, eum impense rogabant vellet, apostolica auctoritate sua, Sancto Ephrem Syro, Diacono Edesseno, titulum atque honores Doctoris Ecclesiae universae concedere et confirmare. Rem, profecto votis quoque suis consentaneam, mature perpendendam duxit. Meminerat namque Benedictus XV « ab Orientalibus Patribus... beatum Ephrem semper veritatis magistrum deiferumque Ecclesiae Catholicæ Doctorem esse habitum », neque ignorabat « ipsius auctoritatem inde ab initio plurimum valuisse non modo apud Syros, sed etiam apud finitos, Chaldaeos, Armenos, Maronitas et Graecos, qui Diaconi Edesseni scripta in suum

quisque sermonem transtulerunt, et, cum in coetibus liturgicis, tum domi ac privatum cupe perlegere consueverant, ita, ut eius carmina, hodie etiam, inter Slavos, Coptos, Aethiopes et vel inter Iacobitas Nestorianosque inveniri contingat »; itemque « hunc virum apud Romanam Ecclesiam magno in honore antehac fuisse » et Supremos Pontifices « Gregorium XIII et Benedictum XIV, qui quidem non uno nomine de catholicis Orientis bene meriti sunt, curasse, ut primo Vossius, deinde Assemanus, maiore qua tum fieri poterat diligentia, Sancti Ephrem opera colligerent atque ad inlustrandam catholicam fidem et pietatem fidelium alendam ederent et evulgarent ». Quum denique et proxime superiores respexisset eventus, rem funditus expendendam S. Rituum Congregationi mandavit, quumque favorable ab ea responsum obtinuisse, Spiritu Paraclito invocato, suprema Sua auctoritate sancto Ephrem Syro, Diacono Edesseno, titulum cum honoribus Doctoris Ecclesiae Universalis contulit ratumque habuit, decernens eius festum diem, qui est duodecimbris mensis Iunii, celebrandum ubique esse eadem ratione, qua dies natalis agitur ceterorum Ecclesiae Universalis Doctorum.

« Quare – Pater pientissimus concludit – quin gaudemus hanc honoris et gloriae Sancto Doctori accessionem per Nos factam, tum confidimus simul fore, ut universae Christianitatem familiae, in tanta rerum asperitate, praesentissimus atque perstudiosus apud divinam clementiam deprecator ille adsit et patronus. Res item catholicis orientalibus novo sit argumento singularis eius curae atque studii, quo Romani Pontifices dissitas eas Ecclesias prosequuntur; quarum quidem legitimas consuetudines liturgicas canonicasque regulas, perinde ac decessores Nostri, volumus integras incolumesque perpetuo consistere. Utinam, afflante Dei gratia, et sancto Ephrem auspice, impedimenta illa concidant, quibus tam conspicuum christiani gregis partem disiunctam dolemus a mystica petra, super quam Christus Ecclesiam suam aedificavit! Utinam quam primum felicissimus ille dies illucescat, quo omnium in animis erunt sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi evangelicae veritatis verba, quae per magistrorum consilium data sunt a pastore uno! ».<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Apoc., XI, 4.

<sup>1</sup> Hist. eccl. I. III, c. XV.

<sup>1</sup> Ecclesiastes, XII, 11.

## LEO IV

## ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.



<sup>1</sup> *Loquitur cum anxietate et circumspicit.*

- Dixisti Publum ...

I. Fidelem principi, virum virtutibus.  
II. Et rebus omnibus praevidentissimum...

PUBL. Probo admodum! Sed vigiletis moneo!  
Enim sumus multis septi periculis...  
Per aequor hostes vel per omnes tra-  
[mites,  
Sunt angues isti, potius dic aspides.  
Occultos exitus osservate cautius;  
Sint stationes insuper, vigiliae;  
Adsunt hic tribuni, praefecti militum,  
Ut caveant hortor ab eruptionibus.<sup>1</sup>

I. Ex improviso quomodo huc e machina?  
II. In Urbem Barbari solent sic ingredi.  
III. Quod ipse praecipit, magna fiducia  
Agat! Sic vigilet! Et ipse pervelim  
Haberet positas ut millenas copias,  
Monent quae Barbaros adesse perfidos.

II. Queo fidenter dicere quid sentio?<sup>2</sup>  
Et hunc habere rem timeo cum Bar-  
[baris.  
I. Venit qui tibi mala sic suspicio?  
II. Multos quos colligit, petant ut dum-  
[modo,  
Sient aut Itali, sient aut Barbari...  
Quod est improvidum, mea sententia!

I. Hi melius facient fartum percommo-  
[dum.  
III. Fartum? Quid est?  
I. Ignoras? Hoc est farcimen  
Ex ipsis hostibus iucundum sapidum.  
II. Malis forent duri, stoniacho durissimi.  
III. Missa istuc facias, nostra nil interest!  
II. Eamus intro! Loquar confidentius.<sup>3</sup>

(*Ad proximum numerum*).

## 1 Exit.

<sup>2</sup> *Secrete et quasi ad aures.*

<sup>3</sup> *Ingrediuntur*

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*  
ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICAN

C. DEL VECCHIO.

